



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio Dvodecima. De scientia animæ Christi acquisita, in quatuor
articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

supernaturalem: tales autem sunt species infusæ animæ Christi: ergo. Antec. probatur: Non potest acquiri viribus naturæ, sed solum caulatur speciali actione à Deo, vt est author gratiæ: ergo. Resp. nullam esse conseq. quia scientia includit simul species & lumen: quod in hac scientia est supernaturale: species autem vt species, non includunt lumen: ex hoc autem quod speciali actione infunduntur à Deo, nec possunt naturaliter acquiri, sequitur tantum eas esse supernaturaliter infusas, non autem omnes esse ordinis supernaturalis.

CONTRA vltimam concl. sunt argumenta: quæ refert & soluit Aluarez disp. 65.

quod dico, perfectum: & S. D. in 1. p. post Dei simpliciter: quæ primo pertinet ad quidditatem Dei, differit immediate de perfectione Dei. Secundo agit S. D. de modo acquisitionis huius scientiæ: & primo in communi in secundo art. quærens: An Christus in hac scientia profecerit. Secundo in particulari in ordine ad duas causas efficientes, sc. hominem & Angelum: ex quibus notior est nobis homo & eius doctrinæ modus, quam sit Angelus cum suo docendi modo: & ideo in tertio artic. quærit: An Christus aliquid ab homine didicerit: in quarto autem & vltimo quærit: Vtrum Christus aliquid acceperit ab Angelis.

B

ARTICVLVS I.

Vtrum secundum hanc scientiam Christus cognouerit omnia.

Secunda Controuersia.

An scientia hac infusa animæ Christi sit aliqui habitus distinctus à speciebus.

DIFFICULTATEM hanc soluit S. D. hic ad 3. dicens in scientia Christi præter lumen diuinum infusum, quod est communis ratio intelligendi ea, quæ diuinitus reuelantur oportere esse in anima Christi species singularium rerum ad cognoscendum vnum quodque propria cognitione, & secundum hoc, id est considerando solam specierum pluralitatem, diuersos esse habitus in anima Christi: quia nimirum diuersæ species diuersi sunt habitus materialiter: vnde etiam scientia Christi respicit diuersa scibilia materialiter: quæ sub vna formali ratione scibilis altioris ordinis continentur.

Videnda sunt, quæ de habitibus Angelorum diximus in 1. p. q. 58. a. 1. & ea, quæ scribunt Cai. 1.2. q. 5.4. a. 4. §. Quo ad quartum, & hic ad 3. & a. 5. in fine & ibi Medina, & Bergomas dub. 1216. & Suarez disp. 29. sect. 2. & 3.

Alias duas difficultates supra propositas, videlicet tertiam de vnitatem habitus huius scientiæ: & quartam de distinctione luminis eiusdem scientiæ tractat Suarez in allegata disp. 29. sect. 3. & 4. Medina de tertia disputat & eam recte definit.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De scientia animæ Christi acquisita, in quatuor articulis diuisa.

DEinde considerandum est de scientia animæ Christi acquisita, vel experientiali.

Et circa hoc queruntur quatuor.

Primo, vtrum secundum hanc scientiam cognouerit omnia.

Secundo, vtrum in hac scientia profecerit.

Tertio, vtrum aliquid ab homine didicerit.

Quarto, vtrum acceperit aliquid ab Angelis.

Ratio ordinis.

QVÆSTIONIS huius ordo ad præcedentes patet exijs, quæ supra diximus de ordine articulorum, quæstionis nonæ. Huius vero quæstionis articuli sic ordinantur: Nam primo disserit S. D. de quidditate & perfectione scientiæ Christi acquisitæ: quæ consideratur in ordine ad obiectum, quærens in primo artic. An secundum hanc scientiam Christus cognouerit omnia. Vt enim aduertit Cai. in 1. p. q. 83. a. 7. §. Ad cuius euidentiam perfectio & imperfectio prædicata sunt rebus conuenientia intra primum modum dicendi per se: cum sine eis haberi nequeat complete quidditati rei cognitio: Vnde etiam philosophus in 1. Celi primum prædicatum, quod inuestigat de mundo est hoc,

Naz. in D. Thom. 3. partem.

D

Ad primum ergo dicendum, quod scientia rerum acquiri potest non solum per experientiam ipsarum, sed etiam per experientiam quarundam aliarum rerum: cum ex virtute luminis intellectus agentis possit homo procedere ad intelligendum effectus per causas, & causas per effectus, & similia per similia, & contraria per contraria. Sic igitur, licet Christus non fuerit omnia expertus, ex his tamen, quæ expertus est, in omnium deuenit notitiam.

Ad secundum dicendum, quod, licet sensibus corporalibus Christi non fuerint subiecta omnia sensibilia: fuerunt tamen sensibus eius subiecta aliqua sensibilia, ex quibus propter excellentissimam vim rationis eius potuit in aliorum notitiam deuenire per modum prædictum: sicut videndo corpora caelestia, potuit comprehend. re eorum virtutes, & effectus, quos habent in istis inferioribus, qui eius sensibus non subiacebant. Et eadem ratione ex quibuscunque alijs, in aliorum notitiam deuenire potuit.

Ad tertium dicendum, quod secundum istam scientiam anima Christi non simpliciter cognouit omnia: sed illa omnia, quæ per lumen intellectus agentis homini sunt cognoscibilia. Vnde per hanc scientiam non cognouit essentias substantiarum separatarum, nec etiam singularia præterita, præsentia, & futura, quæ tamen cognouit per scientiam inditam: vt supra dictum est.

Q q

Sensus

77

q. 9. ar. 6.

Tex. 18.

D. 1118.

D. 1217.

In cor. ar.

& q. præc.

& q. 9. a. 3.

& 4.

DICTIO omnia sicut absolute proponitur, ita absolute etiam sumenda est: ut patet ex tertio argumento, & expectanda est limitatio quae apponitur conclusioni, & explicatur in solutione dicti argumenti.

Forma Textus.

CONCL. est: Anima Christi per scientiam acquisitam scivit omnia illa, quae possunt sciri per actionem intellectus agentis. Probatur ex proportionali similitudine inter scientiam infusam respectu intellectus possibilis, & scientiam acquisitam respectu intellectus agentis. Nam sicut scientia indita vel infusa ponitur in anima Christi ad perfectionem intellectus possibilis, ita scientia acquisita ponitur in anima Christi propter convenientiam intellectus agentis, ne eius actio sit otiosa, quae facit intelligibilia actui: ergo sicut per scientiam inditam scivit anima Christi omnia illa, ad quae intellectus possibilis est quocunque modo in potentia, ita per scientiam acquisitam scivit omnia illa, quae possunt sciri per actionem intellectus agentis. Antecedens declaratur ex Arist. in 3. de Anima, tex. 18. quia, sicut intellectus possibilis est, quo est omnia fieri, ita intellectus agens est, quo est omnia facere, specialiter autem secunda pars eiusdem antecedentis probatur ex dictis supra quest. 9. a. 4.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt, quae de modo acquisitionis scientiae experimentalis scribunt super hoc art. Cai. & Med. & ea, quae late diximus sup. q. 9. a. 4. ubi sententias & dicta expositorum super hoc artic. diligenter examinavimus.

Notandum est primo scientiam hanc in anima Christi fuisse distinctam per diversos habitus, sicut ceterorum hominum scientia diuiditur in rationalem & realem: quae multiplex est scilicet Physica, Mathematica & Metaph. ut enim ait S. D. in 3. dist. 14. q. 1. a. 3. quae sunt. 4. ex naturali debilitate luminis naturalis intellectus humani provenit scientiarum diversitas: sicut & contra perfectio scientiae infusae Angelis & anime Christi formalem sibi vendicat unitatem.

Secundo notandum est scientiam hanc animae Christi fuisse in genere suo perfectissimam, atque adeo extensam ad omne scibile naturaliter, tam speculative quam practice, fuisseque longe perfectiorem scientia protoparentis Adae ac Salomonis, & cuiuslibet inter homines sapientis tam practici quam speculativi: ut patet ex ijs, quae supra diximus, q. 9. a. 4. quibus ad de scientiam hanc ex conjunctione cum scientia per se infusa magnam acquisivisse perfectionem.

Nec obstat, quod soli Deo divina scriptura significet proprium esse cognoscere numerum stellarum Caeli, & singularum naturam: nam Psalm. 146. dicitur: Qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat, impositio namque nominis ex perfecta provenit cognitione. Responderetur enim vocare Dei practicum esse, & idem esse quod facere: ac proinde Deum vocare rem aliquo nomine est illi tribuere naturam & virtutem illo nomine significatam: & hoc modo res vocare proprium Dei est. Speculativa vero cognitio & nuncupatio rerum omnium, praesertim corporearum, convenit non solum Angelis, sed etiam hominibus. quibusdam in divina scriptura celebratis, ut Adamo & Salomoni, & multo magis animae Christi, tam secundum scientiam inditam, quam secundum acquisitam.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus in hac scientia profecerit.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod secundum hanc scientiam Christus non profecerit. Sicut enim secundum scientiam beatitudinis, & secundum scientiam infusam Christus cognovit omnia: ita & secundum hanc scientiam acquisitam, ut ex dictis patet. Sed secundum illas scientias non profecit: ergo nec secundum istam.

Præterea: proficere est imperfecti: quia perfectum additionem non recipit. Sed in Christo non est ponere scientiam imperfectam. Ergo secundum hanc scientiam Christus non profecit.

Præterea: Damasc. dicit. Qui proficere dicunt Christum sapientia, & gratia, ut adiumentum sensus suscipiunt, non venerantur ymionem, quae est secundum hypostasim. Sed impium est illam ymionem non venerari. Ergo impium est dicere, quod scientia eius adiumentum acceperit.

Sed contra est, quod dicitur Luc. 2. quod Iesus proficiebat sapientia, & etate, & gratia, apud Deum, & homines. Et Ambr. dicit, quod proficiebat secundum sapientiam humanam. Humana autem sapientia est, quae humano modo acquiritur, scilicet per lumen intellectus agentis. Ergo Christus secundum hanc scientiam profecit.

Respondeo dicendum, quod duplex est perfectio scientiae. Vnus quidem secundum essentiam: prout scilicet ipse habitus scientiae augetur. Alius autem secundum effectum: puta si aliquis secundum eundem, & aequalem scientiam habitum, primo minor a alijs demonstraret, & postea maiora, & subtiliora. Hoc autem secundo modo manifestum est, quod Christus in scientia, & gratia profecit, sicut & in etate: quia scilicet secundum augmentum etatis opera maiora faciebat, quae scilicet maiorem scientiam, & gratiam demonstrabant. Sed quantum ad ipsum habitum scientiae manifestum est, quod habitus scientiae infusa in eo non est augmentatus, cum a principio plenarie fuerit sibi omnium scientia infusa: & multo minus scientia beata in eo augeri potuit. De scientia enim divina, quod non possit augeri, supra in prima parte dictum est. Si igitur prae huiusmodi scientiae infusum, non sit in anima Christi aliquis habitus scientiae acquisitae, ut quibusdam videtur, & mihi aliquando visum est, nulla scientia in Christo augmentata fuit secundum essentiam, sed solum per experientiam, id est per conversionem specierum intelligibilium, inditarum ad phantasmatum. Et secundum hoc dicunt, quod scientia Christi profecit secundum experientiam, conuerendo scilicet species intelligibiles inditas ad ea, quae de nouo per sensum acceperit. Sed quia inconueniens videtur, quod aliqua naturalis actio intelligibilis, Christo deesset cum extrahere species intelligibiles a phantasmatibus sit quaedam naturalis actio hominis secundum intellectum agentem, conuenienti videtur hanc etiam actionem in Christo ponere. Et ex hoc sequitur, quod in anima Christi aliquis habitus scientiae fuerit, qui per huiusmodi abstractionem specierum potuerit augmentari: ex hoc scilicet, quod intellectus agens, post primas species intelligibiles abstractas a phantasmatibus poterat etiam alias, & alias abstrahere.

Ad primum ergo dicendum, quod tam scientia infusa animae Christi, quam scientia beata, fuit effectus agentis infinite virtutis, qui potest simul totum operari: & ita in neutra scientia Christus profecit, sed a principio eam perfectam habuit. Sed scientia acquisita causatur ab intellectu agente, qui non simul totum operatur, sed successiue. Et ideo secundum hanc scientiam Christus non a principio scivit omnia, sed paulatim, & post aliquod tempus, scilicet in perfecta etate. Quod patet ex hoc, quod Euangelista simul dicit eum profecisse scientia, & etate.

Ad secundum dicendum, quod hac etiam scientia semper fuit perfecta secundum tempus: licet non semper fuerit perfecta simpliciter, & secundum naturam. Et ideo potuit habere augmentum.

Ad tert-

ad certum dicendum, quod Verbum Damasceni intelligitur quantum ad illos, qui dicunt simpliciter fuisse factam additionem scientiæ Christi, scilicet secundum quamcunque eius scientiam: & præcipue secundum infusam, quæ causatur in anima Christi ex vnione ad Verbum. Non autem intelligitur de augmento scientiæ, quæ ex naturali agente causatur.

Forma Textus.

PREMISSA distinctione: Respondetur quæstio sex conclusionibus.

Distinctio est: Duplex est profectus scientiæ: vnus secundum essentiam, prout scilicet ipse habitus scientiæ augetur: alius secundum effectum: puta si aliquis secundum eundem & æqualem habitum scientiæ primo minora alijs demonstret, & postea maiora & subtiliora.

PRIMA CONCL. Christus hoc secundo modo proficit in scientia & gratia, sicut & in ætate. Probat: quia secundum augmentum ætatis opera maiora faciebat: quæ scilicet maiorem scientiam & gratiam demonstrabant.

SECUNDA CONCL. Habitus scientiæ infusa non fuit augmentatus in Christo secundum essentiam. Probat: quia à principio plenarie fuit illi omnium scientiæ infusa.

TERTIA CONCL. Scientia beata multo minus in eo potuit augeri: Probat: ex præcedenti.

QUARTA CONCL. Scientia diuina multo minus potuit augeri: Probat: ex dictis in prima parte, quæst. 14. art. 15.

QUINTA CONCL. Si præter habitum scientiæ infusum non sit in anima Christi aliquis habitus scientiæ acquisita (vt quibusdam videtur) nulla scientia in Christo augmentata fuit secundum essentiam, sed solum per experientiam, id est conuersionem specierum intelligibilium inditarum ad phantasmatum, quo ad ea quæ de nouo per sensum accipit.

SEXTA CONCL. In anima Christi fuit aliquis habitus scientiæ (scilicet scientia acquisita) qui per abstractionem specierum potuit augmentari. Probat: prima pars, quia si non ponatur talis habitus in anima Christi, sequitur quod aliqua naturalis actio Christi deesset: quod est inconueniens. Probat: sequela: quia extrahere species intelligibiles à phantasmatibus est quadam naturalis actio hominis secundum intellectum agentem: ergo conueniens est hanc etiam actionem in Christo ponere. Secunda vero pars cõclusionis probatur ex prioribus: quia intellectus agens post primas species intelligibiles abstractas à phantasmatibus poterat etiam alias, & alias abstrahere.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt, quæ supra diximus q. 9. a. 4. vbi ex hoc art. & præsertim ex responsione ad 1. & 2. probauimus contra quosdam recentiores Thomistas scientiam hanc non fuisse acquisitam in primo instanti conceptionis Christi, sed longo temporis tractu: ita vt hæc scientia in sola Christi ætate perfecta fuerit omnibus numeris absoluta: quo ad linguas autem inferiores ætates perfectionem habuerit vnicuique conuenientem: vt ait hic S. D. ad 2. Videnda sunt etiam quæ scribunt Med. super hoc art. & Suar disp. 30. & Valq. disp. 55.

Referetur opinio dicentium Christum à principio suæ incarnationis habuisse scientiam augmentatam: quæ sita pars ex specibus infusis. ADVERTE quosdam recentiores existimare Christum à principio suæ incarnationis habuisse scientiam augmentatam parim ex phantasmatibus, & partim ex specibus infusis: ex quibus affirmant potuisse Christum alias sibi species formare, quæ ad hanc scientiam pertinerent, & essent ordinis naturalis, diuersæ tamen rationis à specibus abstractis à phantasmatibus, & successu temporis Christum virtute intellectus agentis nouas ex

Naz. in D. Thom. 3. partem.

A phantasmatibus species eadem obiecta representantes acquisiuisse. Et ita dicunt posse conciliari diuersa dicta D. Th. quæ videntur opposita: Nam in opusc. 2. cap. 216. ait Christum in cognitione naturali scibilem solum profecisse per experientiam, & infra q. 15. a. 3. ad 3. ait Christum nunquam fuisse hominem, quin habuerit istam scientiam: hic vero ait scientiam hanc augmentatam fuisse: quia poterat intellectus agens post primas species intelligibiles abstractas à phantasmatibus alias & alias abstrahere. Sed priora loca (inquiunt) intelliguntur de scientia omnium naturalium: quod scilicet ea omnia cognouit per aliquas ex prædictis speciebus: in hoc autem articulo dicens scientiam hanc auctam fuisse non negat eam à principio attigisse omnia obiecta, sed solum intendit eam non attigisse obiecta omnia per species tam acquisitas ex sensibilibus, quam ex speciebus infusis deductas, & formatas. Nam si à principio per species ab infusis speciebus deductas omnia cognoscebat, postea fuit aucta secundum essentiam per additionem nouarum specierum à phantasmatibus abstractarum, quibus eadem repræsentabantur.

Sed in hac sententia multa sunt falsa. Primo namque falsum est ex speciebus infusis posse species alias ad habitum inferioris scientiæ pertinentes derivari. Nec eadem ratio est de visione Apostoli Pauli: nam visio beatifica per nullam fieri potest creaturam speciem, sed per solam diuinam essentiam: verum quia visa in diuina essentia res quædam creatæ sunt & finitæ, possunt per creatas & finitas species expressas à beato concipi, & inferioris ordinis notitia cognosci. Et quia species illæ ab obiecto primario, quod est essentia diuina continens creaturas vt obiecta secundaria, sunt deductæ: ideo vim habent etiam specierum impressarum quo ad hoc, quod est in memoria conseruari, & posse esse principia nouæ cognitionis. Deinde essentia Dei, cum sit primum omnium intelligibilium & rationum intelligendi, fons est omnium ad quemcunque ordinem intelligibilium pertinentium, ac proinde mirum non est si ab intellectu beati clare visa causet in eo species quædam creaturarum in ipsa relucendum repræsentatiuas. Hæc autem scientiæ infusæ & eius obiecto minime congruunt: igitur ex speciebus aut obiectis scientiæ infusæ nullæ poterunt species illis inferiores derivari.

Secundo, datis huiusmodi speciebus ex infusis animæ Christi formatis, falsum est eas esse ordinis naturalis. Non enim potest scientia supernaturalis scientiam parere naturalem. Vnde sicut nostra Theologia, quæ ex principiis deducitur immediate reuelatis, dicitur scientia mediate reuelata & absolute supernaturalis, ita species suæ simpliciter essent supernaturales, & lumen ac consequenter habitus supernaturalis. Ex quo tertio sequitur non posse vnum habitum constitui ex eis, & speciebus à phantasmatibus abstractis.

Denique falsum est talem scientiam esse vere acquisitam & experimentalem: hæc enim ex rerum singularium experimentalis cognitione per sensus habita comparatur: illa vero, quam sibi constringunt auctores prædicti, ex infusis & supernaturalibus speciebus, quasi naturali sequela deriuatur, & ideo magis proprie dici posset infusa mediate, quam acquisita, & nullo modo experimentalis.

ARTICVLVS III.

Verum Christus aliquid ab homine didicerit.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod Christus aliquid ab hominibus didicerit. Dicitur enim Luc. 2. quod inuenerunt eum in templo in medio Doctorum interrogantem illos, & respondentem. Interrogare vero, & respondere est addiscere. Ergo Christus aliquid didicit ab hominibus.

Art. praec. Praeterea: Acquirere scientiam ab homine docente, videtur esse nobilius, quam acquirere a rebus sensibilibus: quia in anima hominis docentis sunt species intelligibiles in actu, in rebus autem sensibilibus sunt species intelligibiles solum in potentia. Sed Christus accipiebat scientiam experimentalem ex rebus sensibilibus, ut dictum est. Ergo multo magis poterat accipere scientiam addiscendo ab hominibus.

Praeterea: Christus secundum scientiam experimentalem non omnia à principio sciuit, sed in ea profecit, ut dictum est. Sed quilibet audiens sermonem significatiuum alicuius, potest addiscere, quod nescit. Ergo Christus potuit ab hominibus aliqua addiscere, quae secundum hanc scientiam nesciebat.

Art. praec. Sed contra est, quod dicitur 1sa. 55. Ecce testem populus dedi eum, ducem ac praeceptorem Gentibus. Praeceptoris autem non est doceri, sed docere. Ergo Christus non accepit aliquam scientiam per doctrinam alicuius hominis.

Respondeo dicendum, quod in quolibet genere id, quod est primum mouens, non mouetur secundum illam speciem motus: sicut primum alterans non alteratur. Christus autem constitutus est à Deo caput Ecclesiae, quinimo omnium hominum (ut supra dictum est) ut non solum omnes per ipsum gratiam acciperent, sed etiam ut omnes ab eo doctrinam veritatis reciperent. Unde ipse dicit Ioan. 18. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Et ideo non fuit conueniens eius dignitati, ut à quocunque homine doceretur.

Hom. 19. 2. Ad primum ergo dicendum, quod sicut Origen. dicit super Luc. Dominus interrogabat, non ut aliquid addiceret, sed ut interrogatus erudiret. Ex vno quippe doctrinae fonte manat, & interrogare, & respondere sapienter. Unde, & ibidem in Euangelio sequitur, quod stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius.

Ad secundum dicendum, quod ille, qui addiscit ab homine, non accipit immediate scientiam à speciebus intelligibilibus, quae sunt in mente ipsius, sed mediatis vocibus sensibilibus, tanquam signis intelligibilium conceptionum. Sicut autem voces ab homine formatae sunt signa intellectualis scientiae ipsius, ita creaturae à Deo conditae sunt signa sapientiae eius. Unde dicitur Eccles. 1. quod Deus effudit sapientiam super omnia opera sua. Sicut igitur dignus est doceri à Deo, quam ab homine: ita dignius est accipere scientiam per sensibiles creaturas, quam per hominis doctrinam.

Art. praec. Ad tertium dicendum, quod Iesus proficiebat in scientia experimentali, sicut & in arte: ut dictum est. Sicut autem artis opportuna requiritur ad hoc, quod homo accipiat scientiam per inuentionem, ita etiam ad hoc, quod accipiat scientiam per disciplinam. Dominus autem, nihil fecit, quod non congrueret eius etati: & ideo audiendis doctrinae sermonibus, non accommodauit auditum, nisi illo tempore, quo poterat etiam per viam experientiae talem scientiae gradum attingere. Unde Greg. dicit super Ezech. Duodecimo anno etatis suae interrogare dignatus est homines in terra: quia iuxta rationis usum doctrina sermo non suppetit, nisi in aetate perfecta.

Forma Textus.

CONCL. est: Non fuit conueniens dignitati Christi, ut à quocunque homine doceretur. Probat: quia Christus constitutus est à Deo caput Ecclesiae &

A omnium hominum, ut non solum omnes per ipsam gratiam acciperent, sed etiam ut omnes ab eo doctrinam veritatis reciperent: ergo non fuit conueniens & c. Antecedens probatur auctoritate Domini apud Ioannem 18. cap. dicentis in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut test. perhib. ver. Conseq. vero probatur: quia in quolibet genere id, quod est primum mouens, non mouetur secundum illam speciem motus, quae mouet: sicut primum alterans non alteratur.

Expositio Textus.

Ad huius articuli intelligentiam notandum est tria esse genera cognoscibilium ab homine per alterius hominis docentis magisterium. Primum est rerum seu mysteriorum supernaturalium. Secundum est rerum omnium ad scientias naturaliter acquisibiles pertinentium. Tertium est rerum singularium praesentium secundum tempus, absentium autem secundum locum & rerum praeteritarum, aut contingenter vel libere futurarum, aut etiam libere factarum: quales sunt vocum significationes secundum diuersarum gentium usum.

Et de primo quidem rerum ordine praecipue intelligenda est conclusio S. Tho. cuius oppositum nullus praeter Gnosticos seu Valentinianos haereticos ausus est affirmare: ut patet apud Iren. lib. 1. contra haereses, cap. 17. & colligitur haec veritas ex illo Matth. 13. Docebat eos in synagoga eorum: ita ut mirarentur, & dicerent: unde huic sapientia haec, & virtutes? & Marci 6. capit. in synagoga docere, & multi audientes admirabantur in doctrina eius dicentes: Unde huic haec omnia? & quae est sapientia, quae data est illi? & Ioan. 7. quomodo hic literas sciit, cum non didicerit? Eandem veritatem explicant Augustinus tractatu 29. in Ioan. Cyril. lib. 4. & nono in Ioan. ca. 8. & in Isaiam. cap. 41. in fine, & Galatinus lib. 3. cap. 29. Ad secundum etiam rerum cognoscibilium ordinem extenditur secundario conclusio D. Tho. ut expresse patet ex respons. ad 2. ubi id optimo probatur argumento. Cui adde Christum fuisse supremum veritatum supernaturalium doctorem, ad quas veluti certissimas & infallibiles confiteri debent, & examinari veritates naturales. De tertio vero cognoscibilium ordine paulo maior est difficultas. Quidam enim existimant haud absurdum esse Christum nonnullorum praeteritorum & aliorum futurorum contingentium ab aliis notitiam accepisse: ut cum Mater illi dixit Luc. 2. Ecce pater tuus & ego dolentes quaegebamus te. Sed hac solutio, cum non satis videatur congrua dignitati Christi, merito rejicitur à Medina.

1. Solut. Alij recentiores dicunt Christum ex se praedicta cognouisse, non quidem modo scientifico, sed per directionem scientiae infusae, potuit adiuari ad indagandum cognitionem omnium naturalium, quae intellectus agens potest attingere. Sed hac responsio deficit: quia singularia praeterita vel futura, & praesertim contingetia & libera nequeunt attingi per lumen intellectus agentis.

2. Solut. Tertio igitur respondet Medina Christum à nullo veluti Magistro edoctum fuisse, sed tantum à rebus ipsis. Unde (inquit) quando quispiam aliquid Christo dicebat, talis se habebat ut discipulus, qui in libro legit ut inde magister veritates actu cognoscat, quas ante sciebat in virtute vel in habitu. Sciebat enim Christus per scientiam inditam, vel beatam veritatem omnem à quocunque relata, & ita non credebatur propter aliorum dicta. Quae responsio optima est.

Alia solutio Vel dicas ad veritatem conclusionis dicentis Christum nihil ab homine didicisse, non esse necesse ut per omnem scientiam vniuersa cognouerit, atque adeo ut per

vt per scientiam acquisitam cognouerit omnia singularia & contingentia ac libera (hæc enim ad habitum scientiæ experimentalis minime pertinent) sed satis esse, quod hæc per aliquam animæ suæ scientiam ante cognouerit, quam per hominis locutionem aut nutum potuerint ei manifestari: In auditione vero talium rerum nulla scientiæ Christi acquisita fiebat accessio: sed externis ac internis ea tantum sensibus ingerebantur, & ad nonnullum experimentum inditæ scientiæ pertinebant.

CIRCA resp. ad primum argum. aduerte D. Th. non omnes interrogandi causas recensuisse, sed duas tantum quas suo deferuiebant instituto. Preter quas sunt alia plures, quas afferunt Chrysost. B. hom. 17. in Ioan. & hom. 70. in Matth. & hom. 4. de patientia Iob. Ambr. lib. 5. de Fide, cap. 8. Orig. hom. 16 in numer. & hom. 13. in Matth. & alij.

CIRCA resp. ad 2. ubi dicitur Christum à rebus sensibilibus scientiam accepisse, obijci potest doctrina D. Tho. infra q. 61. a. 2. dicentis statui innocentia non conuenire, vt anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam per aliquod corporale: constat autem maiorem fuisse Christi perfectionem, quam status innocentia: sed facile soluitur dicendo D. Th. hic loqui de cognitione naturali: quam etiam Adæ filij durante statu innocentia ex sensibilibus acquisiuisent, vt ait S. D. 1. p. q. 101. art. 1. infra vero de cognitione supernaturali: vt ibidem etiam aduertit Suarez. Aliam solutionem affert Bergomen-
sis, dubio 740. & dub. 107. sed prior est melior.

lumen Angelicum, sed sufficit lumen intellectus agentis: ex impressione vero superiori secundum scientiam infusam: quam est immediate adeptus à Deo. Sicut enim supra communem modum creature anima illa vnita est Verbo in vnitate personæ: ita supra communem modum hominum, immediate ab ipso Verbo repleta est scientia, & gratia. Non autem mediantibus Angelis, qui etiam ex influentia Verbi, rerum scientiam in sui principio acceperunt, sicut in secund. super Genes. ad litteram Augustin. dicit.

Ad primum ergo dicendum, quod illa confortatio Angelis non fuit per modum instruct. onis, sed ad demonstrandam proprietatem humanæ nature. Vnde Beda dicit super Luc. In documento viri que nature. & Angeli ei ministrasse. & eum confortasse dicuntur. Creator enim creatura sue non eguit presidio: sed homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur, vt scilicet in nobis fides incarnationis ipsius confirmetur.

Ad secundum dicendum, quod Dion. dicit Christum fuisse formationibus Angelicis subiectum: non ratione sui ipsius, sed ratione eorum, quæ circa eius incarnationem agebantur, & circa ministrationem eius in infanti: acate constituti. Vnde ibidem subdit, quod per medios Angelos nuntiatur Ioseph à Patre dispensata Iesu ad Aegyptum recessio, & rursum ad Iudæam de Aegypto traditio.

Ad tertium dicendum, quod filius Dei assumpti corpus passibile (vt infra dicitur) sed animam perfectam scientia, & gratia. Et ideo corpus eius conueniens fuit subiectum impressioni celestium corporum: anima vero eius non fuit subiecta impressioni celestium spirituum.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quæsito duabus conclusionibus.

Distinctio est: Anima humana duobus modis nata est perfici. Vno quidem modo per scientiam acceptam à rebus sensibilibus. Alio modo per scientiam inditam siue impressam ex illuminatione spiritualium substantiarum. Declaratur hæc distinctio: quia anima media est inter spirituales substantias & res corporeas.

PRIMA CONCL. Anima Christi perfecta fuit ex sensibilibus secundum scientiam experimentalem absque lumine Angelico. Probat: quia ad hanc scientiam sufficit lumen intellectus agentis.

SECUNDA CONCL. Anima Christi perfecta est ex impressione superiori secundum scientiam infusam, quam est immediate adeptus à Deo. Probat: Quia Anima Christi supra communem modum creature vnita est Verbo in vnitate personæ: ergo etiam supra communem modum hominum immediate ab ipso Dei Verbo repleta est scientia & gratia, & non mediantibus Angelis. Consequentia probatur à minori ad maius: quoniam Angeli, qui non fuerunt vniti Verbo personaliter, ex eius tamen influentia rerum scientiam in sui principio acceperunt: vt ait Augustinus super Gen. ad litteram: ergo multo magis anima Christi, quæ Verbo fuit vnita personaliter, scientiam ab eo recepit influxam.

Expositio Textus.

NOTANDUM est primo, Christum per scientiam infusam potuisse potentia proxima cognoscere in actu secundo, quæcunque hominum aut Angelorum locutione, aut quocunque modo fuerunt eius intellectui præsentata, & virtute eiusdem scientiæ formare phantasmata, & ab eis species abstrahere: atque ideo nec ab hominibus, nec ab Angelis aliquid didicisse, aut ab eis de aliqua veritate illuminatum fuisse. Sicut nec Angelus superior ex inferioris allocutione illuminatur, vt ait S. D. 1. par. q. 107. art. 3. neque magister ex in-

ARTICVLVS IV.

Virum Christus aliquid acceperit ab Angelis.

Inf. q. 30. a. 2. 1. & 3. d. 13 q. 2. art. 2. q. 1. & dif. 14. ar. 3. q. 6.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus ab Angelis scientiam acceperit. Dicitur enim Luc. 22. quod apparuit Christo Angelus de calo, confortans eum. Sed confortatio fit per verba confortatoria docentis: secundum illud Iob 4. Ecce docuisti plurimos, & manus lasas roborasti, vacillantes confirmauerunt sermones tui. Ergo Christus ab Angelis edoctus est.

Præterea: Dionys. dicit 4. Cal. Hier. Video enim, quod & ipse Iesus, super celestium substantiarum super substantialis substantia, ad nostram intransmutabiliter veniens, obediens subijcitur Patri, & Dei per Angelos formationibus. Videtur igitur, quod ipse Christus ordinationi legis diuina subijci voluerit, per quam homines mediantibus Angelis erudiuntur.

Præterea: Sicut corpus humanum naturali ordine subijcitur corporibus celestibus: ita etiam humana mens Angelicis mentibus. Sed corpus Christi subiectum fuit impressionibus celestium corporum: passus est enim calorem æstate, & in hyeme frigus, sicut & alias humanas passiones. Ergo etiam eius mens humana subiacebat illuminationibus super celestium spirituum.

Sed contra est, quod Dion. dicit 7. c. Cal. hierarch. quod E. supremi Angeli ad ipsum Iesum quæstionem faciunt, diuini que illius operis, & pro nobis assumptæ carnis scientiam discunt, & eos ipse Iesus sine medio docet. Non est autem eiusdem docere, & doceri. Ergo Christus non accepit scientiam ab Angelis.

Respondetur dicendum, quod sicut anima humana media est inter spirituales substantias, & res corporeas: ita duobus modis nata est perfici. Vno quidem modo per scientiam acceptam ex rebus sensibilibus: Alio modo per scientiam inditam, siue impressam ex illuminatione spiritualium substantiarum. Vtroque autem modo anima Christi fuit perfecta: ex sensibilibus quidem secundum scientiam experimentalem, ad quam quidem non requiritur

Naz. in D. Thom. 3. partem.

Lib. 2. c. 8. 10. 3. Cap. 92. lib. 6. in luc. 1. 2.

lib. 6. c. 19.

q. 14. ar. 1.

ex interrogatione discipuli quidquā addiscit aut illuminatur, sed ad ea tantum excitatur consideranda in actu secundo, cum prius posset potentia proxima seipsum ad eorum considerationem excitare. Illuminatio namque in eo solo fit intellectu, qui proxima caret potētia ad aliquid cognoscendum; ut ait S. D. in 3. dist. 14. q. 1. a. 3. q. 6. & patet ex ijs, quæ late diximus in 1. p. q. 106. a. 1.

Secundo notanda sunt ea, quæ scribit Med. & post eum Valq. disp. 56. cap. 1. circa narrationem illam Luca 22. Apparuit autem illi Angelus de Cælo confortans eum &c. quam affert in primo argumento S. D. & in eius solutione declarat. Quamvis enim ex antiquis nonnulli diuinæ scripturæ partem non esse contenderint, aut de eius sinceritate dubitauerint: nunc tamen approbata per Concilium Trid. editione vulgata narrationem illam conueniente nulli salua fide licitum est de ea dubitare.

Controuersia Vnica.

An Christus reuera ab Angelo fuerit confortatus: ita ut aliquid leuaminis, & consolationis ex colloquio illius acceperit?

Sent. Doct.

VAsquez disp. 56. cap. 2. ait se multo probabilius existimare Angelum Domini ita Christo apparuisse, ut nullam ei consolationem adhibuerit, sed eius potius robur & animi magnitudinē laudauerit, quod tam prompto animo mortis periculo vltro se obtulisset: & pro iua sententia multos allegat Patres ac præsertim Epiph. hæresi 69. cuius verba late refert.

Sed oppositum docent hic S. Tho. ad primum, & Cai. in eius expositione: Medina in suo commentario: qui tamen addit Angelum, quantum in se erat, Christum confortasse, quamuis Christum consolationem illam non acceptare visus sit: quia statim subditur: Factus in agonia prolixius orabat.

Resolutio.
Christum
vere, ac proprie
fuisse
ab Angelo
confortatū.

SCIENDUM est ex D. Thom. in 3. dist. 14. quæst. 1. a. 3. quæstionc. 6. ad 2. Christum ex Angelorum ministerio confortationem accepisse, non enim (inquit) confortabatur per instructionem, sed eo modo, quo ex colloquio & præsentia amicorum & familiarium homo naturaliter confortatur in tristitijs: & in 2. q. 32. art. 5. ait homines in hoc delectari, quod laudantur aut in admiratione habentur: quia per aliorum laudes & admirationem quandam accipiunt cognitionem vel æstimationem propriæ bonitatis vel magnitudinis, in quibus aliquis delectatur. Cum igitur, ut notat Vasq. ex Chrys. Theophil. & Epiph. Angelus Luca 22. admiratione ductus Christum ad passionem procedentem laudauerit, glorificauerit ac benedixerit dicens: tua est adoratio, tuum est dominium, tua est potentia, tua est fortitudo &c. consequens est Christum ab Angelo consolationem accepisse, quatenus scilicet propriæ virtutis & excellentiæ notitia de potentia proxima fuit in actum secundum per Angeli locutionem reducta, & ipsius Angeli veluti amici ac familiaris præsentia delectationem attulit, tristitiæ leuamen afferentem. Qui modus dicendi longe melior est eo, quem ex alijs affert & sequitur Vasq. quia proprium & formalem abque vlla absurditate saluat diuinæ scripturæ sensum: qui etiam veritatem indicat assumptæ à verbo humanitatis: ut in allegata quæstionc. 6. ad 2. S. D. aduertit. Hunc dicendi modum sequuntur Hieron. Dial. 2. contra Pelagianos: Hilar. lib. 10. de Trinit. ante medium Cypri. Epist. 9. circa finem: Bernar. serm. 1. de S. Andrea: Beda Luca 22. Damasc. lib. 3. de fide, c. 20. vltimum explicat Nicetas

lib. 3. Thesauric. 37. Iansen. in concordia c. 137. Luca 22. idem afferunt Dion. Carth. Lyranus & Cai. in suis commentarijs.

Ex his ad quæsitum respondetur hæc vnica conclusio. Christus vere ac proprie fuit ab Angelo confortatus: ita ut aliquid leuaminis & consolationis ex colloquio & præsentia illius acceperit.

CONTRA propositam concl. argumentatur Obi. Vasq. 1. Valq. Primo: quia Christus in promptu habuit omnem rationem mitigandi dolorem & tristitiam, & penitus eam extinguendi ac proinde consolandi seipsum, ut nihil ignorauerit, nihil non considerauerit, nihil non expenderit, ergo. Antecedens probatur: nam quis Christo inconsiderantiam eius, quod probe nouerat, in ea occasione concedat? atque ab Angelo ipsi fuisse in memoriam reuocatum dicere ausit? Resp. Christum voluntarie propter nostram salutem tristitiam & passiones omnes, quas habuit, assumpsisse, & propria virtute potuisse pro libito eas abijcere, & id quandoque fecisse: sed ad ostendendam in se naturæ humanæ veritatem, & ad instructionem nostram intrinsecas omnes consolationis causas tunc ab actu eō solandi retinuisse, atque ideo intellectum suum à consolantium consideratione retraxisse, ut totam in ea tristitia constitutus consolationem ab Angelo perciperet: ut bene Carthus. obseruat in dicto cap. 22. Vnde ad argumentum negatur antecedens quo ad vltimam illam partem, videlicet: nihil non considerauit, nihil non expendit: Ad cuius probationem dico inconsiderantiam priuatiue sumptā non esse Christo tribuendam: sed negatiui illi posse congruere: non enim actu per scientiam inditam aut acquisitam omnia considerabat. Et quamuis omnia simul actu visione beata consideraret: dispensatiue tamen nullus ex ea deriuabatur in partem inferiorē consolationis effectus.

Secundo arguit: quia Luca 22. postquam dictum est: Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum, proxime subditur: & factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram. Ex quibus patet, post colloquium Angeli & confortationem potius creuisse dolorem, quam mitigatum fuisse: siquidem antea non erat factus in agonia, nec sanguinem sudauerat: igitur nullam Christus ab Angelo consolationem accepit. Et confirmatur: quoniam agonia est extrema perturbationis species, quam Latini perturbationem appellant &c. Resp. nullam esse consequentiam, quia sicut libere Christus ab Angelo consolationem accepit, ita libere quando voluit, eam dimisit, & tristitiam ex apprehensione passionis ac mortis proxime imminentis consequentem admisit: & ideo post receptam ob dictam causam ab Angelo consolationem & breuem eius retentionem eam dimisit, inferiorem suæ humanitatis partem naturæ suæ relinquendo. Et quoniam ex Angelica consolatione non fuerunt ablatae tot dispositiones ad agoniam ex præcedenti tristitia congregatae, mirum non est, quod recedente consolatione & redeunte tristitia, qua dispositio perficiebatur ad agoniam, hanc effecit cum sudore sanguineo: & quamuis Euangelista non referat moram aliquam inter consolationem ab Angelo receptam & agoniam intercesse, non tamen affirmat hæc absque vlla temporis interposita mora contigisse, sed valde probabile est hæc aliquæ temporis duratione fuisse distantia.

Alia, quæ congerit idem auctor exponendo verba illa: confortans eum militans aduersus ipsum: ut patet ex ijs, quæ supra notauimus ex D. Thoma.

QVÆ.